Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2773
Quelle:
Copyright:

de conditione doctoris. restat pars septima quam habemus pre manibus difficilior et diffusior quam alie videlicet de doctrina hominis pertinente ad predicatores secundum experimentum practice. Sed quoniam de dominicalibus et sanctorum festiuitatibus ad pie memorie papam Alexandrum quartum scribentes eius imperio et precepto nos expediuimus. ideo de biis que pertinent ad diuersa statuum et officiorum genera prout dominus dederit subiungamus et titulo subnectamus. De diuersis statibus et officiis. De preceptis diuinis. de sacramentalibus et misterijs. de penis et gaudijs. Sequitur dein Elenchus *Statuum*, ut ait, *uel officiorum* XXXV. quorum cuivis duos saltem Sermones per decursum dicat Noster, narratiunculis pro aevi credulitate consperfos et ad mores cognoscendos non inopportunos. Scripti sunt post an. 1261. quo *Alexander* IV. obiit, editique *Lovanii per Job. de Westphalia* circa an. 1473. *Lugduni* 1511. et *Parisiis* 1513. ut testatur *Foppenius* in *Bibl. Belg.* P. I. p. 386. quem una cum *Waddingo* et *Fabricio* de *Gilberto* variisque ejus Lucubrationibus adi. Nec te moveat *Oudinus* T. III. *col.* 500. *Sermones* nostros ab eo ad *Humbertum de Romanis* O. P. transferens. Titulo deceptum fuisse Αυτοψια docet. Longe alii sunt *Sermones*, seu breviculae potius Collationes, *Humberti ad diuersos Status*, quorum Editio curata a *Pallante Spangelio* Prof. *Heidelberg. Hagenoae 1508. f.* mihi objacet. Sermo *Humberti* seu Collatio I. inscribitur: *Ad omnes Homines*, et incipit: *Omnis homo est exhortandus vt caueat a malo* &c. Sermo *Gilberti* I. autem: *In electione Prelatorum*, et infit: *Elegi dauid seruum meum* &c. A *fol.* 171. habentur *Sermones II. In capitulo ad fratres minores*, quorum in *Elencho* praevio nulla mentio. Ordo etiam *Elenchi* in eo perversus est, quod *Sermones de Sacramentis* eos, qui *de Preceptis diuinis* sunt, praecedant. Ad calcem legitur:

Dextera scriptoris careat grauitate doloris.

Et rubro: *Expliciunt sermones Gyliberti ad status.*

DCCLX.

662 Codex membraneus lat. Sec. partim XIV. partim XV. Folior. 170. 4. per duas columnas exaratus, rubricisque distinctus complectitur sequentia: I. *Sermones* breviculos *duos*, quorum prior inscribitur: *Sermo dominicalis*, et exponit *Lucae* C. 7. v. 12. *Ecce defunctus efferebatur* &c. hoc initio: *Defunctus iste signat animam in peccatis mortuam* &c. Alter *de sancto vdelrico*, in illud: *Benedictio domini super caput iusti.* Sap. X. incipit: *Verba ista possunt* (dici) *de beato vdalrico qui benedictionem domini promeruit* &c. Plures ejusmodi *Sermones* olim in *Codice* praecessisse, palam